

OBSERVATIONES AD REGULAM DECIMAM

ALEXANDRI PAPÆ VII.

JUSSU ADDITÆ

Observandum est circa Regulam decimam, quod degentes in statu Sedi Apostolicæ mediate, vel immediate subjecto, non possunt transmittere libros a se compositos, alibi imprimendos sine expressa approbatione, et in scriptis eminentissimi, ac reverendissimi D. cardinalis Sanctissimi Domini Nostri Vicarii, et Magistri sacri palatii, si in Urbe; si vero extra Urbem existant, sine Ordinarii loci illius, sive ab his deputatorum facultate, et licentia operi infligenda.

Qui vero super impressionem librorum, ordinariam, aut delegatam auctoritatem exercent, dent operam, ne ad examen librorum hujusmodi, personas affectui auctorum quomodolibet addictas, praesertim vero propinquitate illos, aut alia, quantumvis a longe petita ea sit (veri, et sinceri judicij corruptrice) necessitudine contingentes admittant: super omnia autem ab oblati sibi in hanc operam per eosdem auctores censoribus caveant; sed iis demum utantur, quos doctrina, morumque integritate probatos, ab omni suspicione gratiae intactos, ac, si fieri potest, auctoris ipsi ignotos, et unius boni publici, Deique gloriae studiosos cognoverint. Quo vero ad auctores regulares, cuiuscumque ordinis et instituti sint, illud praeterea observandum, ut ne eorum scripta, vel opera aliis ejusdem instituti regularibus examinanda committantur, sed alterius ordinis, et instituti viri pii, doctique, et a partium studio, atque ab amoris, et odii stimulis prorsus remoti elegantur: per hoc autem non tollitur, quin intra eorumdem regularium ordinem, per religiosos ejusdem ordinis, superiorum suorum jussu, praefati libri examinari debeant.

INSTRUCTIO

PRO IIS, QUI LIBRIS TUM PROHIBENDIS, TUM EXPURGANDIS, TUM ETIAM IMPRIMENDIS,
DILIGENTEM AC FIDELEM, UT PAR EST, OPERAM SUNT, DATURI,

CLEMENTIS VIII

AUCTORITATE REGULIS INDICIS ADJECTA.

Ad fidei catholice conservationem non satis est quinam ex jam editis libris damnatae lectionis sint, cognoscere (quod Indice, et Regulis confessis per patres a generali Tridentina synodo delectos, præcipue sanctum est) nisi illud etiam caveatur, ne vel iidem denuo pulsulent libri, vel similes alii emergant, et propagentur, qui incautis fidelium mentes occulto veneno insipientes justa, ac merita damnatione digni judicentur.

Ut igitur quicumque posthac, seu veteres, seu novi libri edentur, quam maxime puri, et tam in iis quæ ad fidem, quam quæ ad mores pertinent, incontaminati existant; quid circa malorum librorum interdictionem, ad eos penitus abolendos, tam ab episcopis, et inquisitoribus, quam a ceteris, quorum ad id in Ecclesia Dei studium valere, et auctoritas potest (præter ea, quæ Tridentinorum patrum Regulis supradictis decreta sunt) publica utilitas exigat, capitibus infra positis diligentius sancitur, iisdemque statuitur, quæ omnino in posterum, tum ab iisdem Episcopis, et Inquisitoribus, aliquaque, ut præfertur, in malorum librorum interdictione, et abolitione, tum a correctoribus in librorum, ac ceterorum quorumcumque scriptorum correctione, atque emendatione, tum a typographis in ipsorum librorum impressione (pœna pro arbitrio Episcopi, et Inquisitoris adversus eosdem typographos constituta) inviolate sunt observanda.

DE PROHIBITIONE LIBRORUM.

§. 1.

Curent Episcopi, et Inquisitores, ut statim atque hic Index fuerit publicatus, eorum jurisdictioni subjecti ad ipsos descripta singillatim deferant nomina librorum omnium, et singulorum, quos apud se in eodem Indice prohibitos quisque reperiet.

Ad hujusmodi vero libros sic significandos, infra certum tempus ab Episcopo, vel Inquisitore præscriendum, omnes cuiuscumque gradus et conditionis extiterint, sub gravi poena, eorum arbitratu infligenda, teneantur.

Romæ vero hæc omnia, certo a se propositis edictis, præscribendo tempore, præstari curabit sacri palatii Magister.